



Proprium Sanctorum.

Pars Verna.

Festa Januarii.

DIE XXVII. JANUARIJ.
S. Joannis Chrysostomi
Episc. Conf. et Eccl. Doct.

Duplex.

Omnia de Comm. Conf.
Pont. [85] præter sequen-
tia. (m. t. v.)

Ad Magnificat, Aña.

Quod Doctor optime,
Ecclesiæ sanctæ
lumen, beate Joannes
Chrysostome, divinæ leg-
is amator, deprecare pro
nobis Filium Dei.

In j. Vesp. v. Amavit.

Oratio.

Ecclésiã tuã, quæ-
sumus Dõmine, grã-
tia cœlestis amplifcet :
quam beãti Joãnis Chry-

sostomi Confessõris tui
atque Pontificis illustrãre
voluisti gloriosis mēritis
et doctrinis. Per Dõmi-
num nostrum.

In j. Nocturno, Lectiones
de Scriptura occurrente.
In Quadrag. Sapiētiã.
de Comuni. [105]

In II. Nocturno.

LECTIO IV.

Joannes Antioché-
nus, propter áu-
reum eloquētiã
flumen cognomēto Chry-
sostomus, a forēnsibus, et
sæcularibus stúdiis ad di-
vinas litteras summa cum
ingénii, et industriæ laude
se cõntulit. Itaque sacris
initiãtus, ac Præsbyter An-
tiochéne Ecclesiæ factus,
mórtuo Nectãrio, Arcãdii

imperatoris opera, invitus Constantinopolitanæ Ecclesiæ præficitur. Quo suscépto pastorali múnere, depravatos mores, et nobiliorum hominum vivendi licentiam vehementius objurgare cœpit. Qua ex libertate magnam multorum subiit invidiam. Apud Eudoxiam etiam, quod eam propter Callitropæ viduæ pecuniam, et alterius viduæ agrum reprehendisset, graviter offéndit.

R. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliabitur ei. **V.** Nichil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

Quare aliquot Episcoporum acto Chalcedone convéntu, quo ipse vocatus ire noluit, quod nec legitimum concilium, nec publicum esse diceret; nitente in primis ipsa contra Chrysostomum Eudoxia, ejicitur in exsilium : sed paulo post propter ejus desiderium seditioe populati facta, admirabili civitatis plausu ab exsilio revocatur. Verum cum perditos mores increpare

non desisteret, et ad argenteam Eudoxiæ staturam in foro sanctæ Sophiæ ludos fieri prohiberet : conspiratione inimicorum Episcoporum iterum exsulare cogitur, viduis et egentibus omnibus communis parentis ejectionem lugentibus. In exsilio Chrysostomus incredibile est et quanta mala perpessus sit, et quam multos ad Jesu Christi fidem converterit.

R. Pôsui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliabitur ei. **V.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

Verum dum concilio Romæ habito, decreto Innocentii primi Pontificis restituitur, a militibus, qui eum custodiébant, miris in itinere malis, et calamitatibus afficitur. Cumque per Armeniam duceretur, sanctus Basiliscus Martyr, in cujus templo antea oraverat, noctu sic eum affatus est : Joannes frater, crastinus dies nos loco conjunget. Quare postridie sumpto Eucharistiæ sacramento, sequé

crucis signo muniens, animam Deo reddidit, decimo octavo Kalendas Octobris. Quo mortuo, horribilis grando Constantinopoli cecidit, et quadriduo Augusta cessit e vita. Ejus corpus insigni pompa et hominum multitudinem celebratum, Theodosius Arcadii filius Constantinopolim portandum, et honorifice sepeliendum curavit sexto Kalendas Februarii : cujus etiam reliquias veneratus, parentum suorum veniam petiit : quod deinde Romam translatum, in basilica Vaticana conditum est. Multitudinem, pietatem, ac splendorem concionum, ceterorumque ejus scriptorum, interpretandi etiam rationem, et inhærentem sententiæ sacrorum librorum explanationem, omnes admirantur : dignumque existimant, cui Paulus Apostolus, quem ille mirifice coluit, scribenti et prædicanti multa dictasse videatur.

R. Iste est. [93]

In iij. Nocturno, Homilia.
Attendite quid dixerit
de Communi Doctorum
ij. loco. [110]

DIE XXIX. JANUARIJ.

S. Francisci Salesii
Episc. Conf. et Eccl. Doct.
Duplex.

Omnia de Comm. Conf.
Pontif. [85] præter sequentia. (m. t. v.)

Ad Magnif. Añã. O Doctor optime, Ecclesiæ sanctæ lumen, beate Francisce, divinæ legis amator, deprecare pro nobis Filium Dei.

In j. Vesp. V. Amavit.

Oratio.

Deus, qui ad animarum salutem beatum Franciscum Confessorem tuum atque Pontificem omnibus omnia factum esse voluisti : concede propitius, ut caritatis tuæ dulcedine perfusi, ejus dirigentibus monitis, ac suffragantibus meritis, æterna gaudia consequamur. Per Dominum.

In j. Nocturno, Lectio-nes. Sapiëntiam. **de Comuni Doctorum. [105]**

In II. Nocturno.

Lectio iij.

Franciscus in oppido Salésio, unde familiæ cognomen, piis et nobilibus parentibus natus, a teneris annis futuræ sanctitatis indicia præbuit, morum innocen-

tia et gravitate. Adolens liberalibus disciplinis eruditus, mox philosophiæ ac theologiæ Parisiis operam dedit: et ne quid sibi deesset ad animi culturam, juris utriusque lauream summa cum laude Patavii obtinuit. In sacra æde Lauretana perpetuæ virginitatis votum, quo pridem Parisiis se obstrinxerat, innovavit: a cujus virtutis proposito nullis unquam dæmonum fraudibus, nullis sensuum illécebris potuit dimoveri.

R. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei. **V.** Nichil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

Recusata in Sabaudia senatu amplissima dignitate, clericali militiæ nomen dedit: tum sacerdotio initiatus, et Genevensis Ecclesiæ præposituram adeptus, ejus muneris partes adeo perfecte explévit, ut eum Granerius Episcopus vindicandis ab hæresi Calviniana Chaballicensibus, aliisque Genævæ finitimis pópulis, divini verbi præ-

cónem destinárit. Quam expeditionem álacri animo suscipiens, asperrima quæque perpessus est, sæpe ab hæreticis conquistus ad necem, variisque calumniis et insidiis vexatus. Sed inter tot discrimina et agones, insuperabilis ejus constantia semper enituit; Deique ope protectus, septuaginta duo millia hæreticorum ad catholicam fidem reduxisse dicitur, inter quos multi nobilitate et doctrina insignes numerantur.

R. Pósui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei. **V.** Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vij.

Mortuo Granerio, qui eum sibi coadjutorem decerni curaverat, Episcopus consecratus, sanctitatis suæ rãdios circumquaque diffudit, zelo ecclesiasticæ disciplinæ, pacis stúdio, misericordia in pãuperes, omnique virtute conspicuus. Ad divini cultus augmentum, novum ordinem sanctimo-

niãlium instituit, a Visitatione beate Virginis nuncupatum, sub regula sancti Augustini; cui addidit constitutiones sapientia, discretione, et suavitate mirabiles. Suis etiam scriptis cœlesti doctrina refertis, Ecclesiam illustravit, quibus iter ad christianam perfectionem tutum et planum demonstrat. Annum denique agens quinquagesimum quintum, dum e Gallia Annesium regréditur, post Sacrum in die sancti Joannis Evangelistæ Lugduni celebratum, gravi morbo correptus, sequenti die migravit in cœlum, anno Domini millésimo sexcentésimo vigésimo secundo. Ejus corpus Annesium delatum, in ecclesia monialium dicti ordinis honorifice conditum fuit, cœpitque statim miraculis claréscere. Quibus rite probatis, ab Alexandro séptimo Pontífice máximo in Sanctorum numerum relatus est, assignata ejus festivitati die vigésima nona Januarii, et a summo Pontífice Pio nono, ex Sacrorum Rituum Congregationis consulto, universális Ecclé-

siæ Doctor fuit declaratus. **R.** Iste est. [93]

In iij. Nocturno, Homilia. Ostendit Dominus. **pro Doctoribus.** [108]

Festa Februarii.

DIE VI. FEBRUARII.

S. Titi

Episc. et Conf. Duplex.
Omnia de Comm. Conf. Pontificis [85] **præter sequentia.** (m. t. v.)

Oratio.

Deus, qui beatum Titum Confessorem tuum atque Pontificem apostolicis virtutibus decorasti: ejus méritis et intercessione concède; ut juste et pie viventes in hoc sæculo, ad cœlestem patriam pervenire mereámur. Per Dominum nostrum.

Commem. Feriæ.

In j. Noct. Lect. Fidéls sermo. **de Communi.** [88]

In II. Nocturno.

Lectio iij.

Titum Cretensium Episcopum vix Pauli Apostoli verbo christianæ fidei sacramentis, mysteriisque excultum, ea sanctitatis luce Ecclesiæ tunc vagienti effulsisse compertum est, ut inter ejusdem Doctoris

Géntium discipulos meruerit cooptari. Ascitus in partem óneris prædicationis, ádeo evangelizándi ardóre, et fidelitate Paulo exstitit carus, ut ipse cum venisset Tróadem propter Evangelium Christi testátus sit, non habuisse réquiem spirítui suo, eo quod Titum fratrem suum ibi non invenerit. Et paulo post Macedóniam petens, rursus suam in eum caritatem ita exprimit: Sed qui consolátur húmiles, consolátus est nos Deus in advéntu Titi.

✠. Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ✠. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitátis non nocébit ei. — Manus.

Lectio v.

Quamóbrem Corínthum ab Apóstolo missus, ea sapiéntia, et lenitate legatiónis hujus múnere functus est, quæ præsertim de fidélium pietate eleemósynas colligéndas ad sublevándam Ecclesiæ Hebræórum inópiam spectábat, ut Corínthios non solum in Christi fide continúerit, sed étiam desiderium, fletum, æmulatió-

nem inter eos pro Paulo, qui illos primus instituit, excitáverit. Ad effundéndum interim inter gentes, linguis locisque distinctas, divini verbi semen, plúribus terra marique itinéribus reléctis, magnaque ánimi firmitate pro Crucis trophæo curis laboribúsq; exantlátis, una cum duce Paulo Cretæ insulam áppulit. Cum porro huic Ecclesiæ Episcopus ab ipso Apóstolo deléctus esset, dubitándum non est, quin in eo múnere ita versátus sit, ut, juxta ipsius Pauli præceptóris mónita, se ípsam præbúerit exemplum bonórum óperum in doctrína, in integritate, in gravitate,

✠. Pósui adjutórium super poténtem, et exaltávi eléctum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliábitur ei. ✠. Inveni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

Itaque tamquam lucerna inter eos, qui in idololatriæ et mendaciórum ténébris, véluti in umbra mortis, sedébant, religiónis jubar diffúdit. Tráditur eum inter Dálmatas,

ut Crucis vexillum explicáret, strénue consudásse. Tandem meritórum et diérum plenus quarto supra nonagésimum anno pridie Nonas Januárii pretiósá justórum morte obdormívit in Dómino, et sepúltus est in Ecclesiá, ubi ab Apóstolo mínister fúerat constitútus. Hujus nomen a sancto Joánné Chrysóstomo, et a sancto Hierónimo præcipue commendátum, Martyrológio Romano eádem die inscriptum légitur; verum pro ejus die festo cum Offício et Missa in cathólico orbe recoléndo ab utróque clero, primam insequentem diem liberam summus Póntifex Pius nonus assignávit. ✠. Iste est. [93]

In iij. Nocturno, Homilia. Dóminus et Salvátor. de Comuni Evangelistarum [26] cum ✠✠. de Conf. Pontif. [96]

Lectio ix. de Homilia et Commem. Feriæ in Laud.

DIE VIII. FEBRUARII.

S. Joannis de Matha

Conf. Duplex.

Occurrente Dominica j. Quadrag. de hoc Festo fit Commem. tantum in utrisque Vesperis et Laudibus.

Ad Laudes, Aña. Euge serve bone et fidélis, quia in pauca fuisti fidélis, supra multa te constitúam, intra in gáudium Dómini tui. ✠. Justum dedúxit.

Oratio.

Deus, qui per sanctum Joánnem órđinem sanctíssimæ Trinitátis ad rediméndum de potestate Saracenórum captívos cœlitus institúere dignátus es: præsta quæsumus, ut ejus suffragántibus méritis, a captivitate córporis et ánimæ, te adjuvante, liberémur. Per Dóminum.

DIE IX. FEBRUARII.

S. Cyrilli

Episc. Alexandrini, Conf. et Ecclesiæ Doctoris.

Duplex.

Omnia de Comuni Conf. Pont. [85] præter sequentia. (m. t. v.)

Ad Magnif. Aña. O Doctor óptime, Ecclesiæ sanctæ lumen, beáte Cyrille, divínæ legis amátor, deprecáre pro nobis Fílium Dei. ✠. Amávit eum.

Oratio.

Deus, qui beátum Cyrillum Confessórem tuum atque Póntificem divínæ maternitátis beatís-

simæ Virginitatis Mariæ assertorem invictum effecti : concede, ipso intercedente; ut qui vere eam Genitricem Dei credimus, materna ejusdem protectione salvemur. Per eundem Dominum.

Comm. S. Joannis de Martha, Aña. Hic vir despicens mundum et terræna, triumphans, divitias cælo condidit ore, manu.

✠. Justum deduxit.

Postea Feriæ occurrit et S. Apolloniæ, Aña. Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum. ✠. Spécie tua.

Oratio.

DEus, qui inter cetera potentie tue miracula etiam in sexu fragili victoriam martyrii contulisti : concede propitius, ut qui beatæ Apolloniæ Virginitatis et Martyris tue natalitia colimus, per ejus ad te exempla gradiamur. Per Dominum.

In j. Noct. Lect. Sapientiam de Comm. Doct. [105]

In II. Nocturno.

Lectio iv.

Cyrillus Alexandrinus, cujus præconia non unius tantum vel alterius sunt com-

probata testimonio, sed etiam œcumenicorum conciliorum Ephesini et Chalcedonensis actis celebrata, claris ortus parentibus, ac Theophili Episcopi Alexandrini nepos, adhuc adolescens præcellentis ingenii clara specimina dedit. Litteris ac scientiis egregie imbuitus, ad Joannem Episcopum Hierosolymitanum se contulit, ut in christiana fide perficeretur. Alexandriam deinde cum redisset, Theophilo vita functo, ad illius sedem evectus est; quo in munere ita optimi pastoris formam ab Apóstolo definitam constanter præ se tulit, ut sanctissimi Præsulis gloriam merito sit adeptus.

✠. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum : * Manus enim mea auxiliabitur ei. ✠. Nihil proficiet inimicus in eo, et filius iniquitatis non nocēbit ei. — Manus.

Lectio v.

Salutis animarum zelo incensus curas omnes intendit, ut sibi commissum gregem in fidei et morum integritate servaret, atque a venenatis infidelium et hæreticorum

pascuis defenderet. Hinc tum Novati asseclas e civitate expelli, tum Judæos qui furore acti in eadem Christianorum conspiraverant, juxta leges puniri satēgit. Singulare vero Cyrilli pro catholice fidei incolumitate enituit studium contra Nestorium Constantinopolitanum Episcopum, asserentem Jesum Christum ex Maria Virgine hominem tantum et non Deum natum, eique divinitatem pro meritis esse collatam; cujus emendationem cum frustra tentasset, eum sancto Cœlestino Pontifici máximo denunciavit.

✠. Pôsui adjutorium super potentem, et exaltavi electum de plebe mea : * Manus enim mea auxiliabitur ei. ✠. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. — Manus.

Lectio vj.

Celestini delegata auctoritate, concilio Ephesino præfuit, in quo hæresis Nestoriana penitus proscripita est, damnatus Nestorius et a sua sede dejectus, ac dogma catholicum de una in Christo, eaque divina persona, et divina gloriosæ Virginitatis

Mariæ maternitate assertum; plaudente populo universo, qui incredibili gaudio gestiens, collucētibuscum facibus domum deduxit Episcopos. Sed hac de causa Cyrillus calumniis, injuriis et persecutionibus plurimis a Nestorio ejusque fautoribus impetitus fuit; quas ipse patientissime tulit, ita ut de sola fide sollicitus, quidquid adversus eum effutiēbant ac moliebantur hæretici, pro nihilo haberet. Tandem pro Ecclesia Dei maximis perfunctus laboribus, plurimisque scriptis editis tum ad ethnicos et hæreticos confutandos, tum ad sacras scripturas et catholica explananda dogmata, sancto fine quievit anno quadringentesimo quadragésimo quarto, episcopatus trigésimo secundo. Leo decimus tertius Pontifex maximus Officium et Missam præclarissimi hujus fidei catholice propugnatoris et Orientalis Ecclesie luminis, ad Ecclesiam universam extendit.

✠. Iste est. [93]

In iij. Nocturno, Homilia. Ostendit Dominus. de Comm. Doct. j. loco. [108]

monasterium rediit. Cum ecce post triduum in cella consistens, elevatis in aera oculis, vidit ejusdem sororis suae animam de corpore egressam in columbae specie caeli secreta penetrare. Qui, tantae ejus gloriae congraudens, omnipotenti Deo in hymnis et laudibus gratias reddidit, ejusque obitum fratribus denuntiavit. Quos etiam protinus misit, ut ejus corpus ad monasterium deferrent, atque in sepulcro, quod sibi ipsi paraverat, ponerent. Quo facto contigit, ut quorum mens una semper in Deo fuerat, eorum quoque corpora nec sepultura separaret.

℟. Afferentur. [148]

In iij. Nocturno, Homilia.
Sæpe vos. de Comm. [151]
Lectio ix. de Homilia et
Commemoratio Ferie in
Laudibus.

Vesperae a Capitulo de
sequenti.

DIE XI. FEBRUARII.
SS. Septem Fundatorum
Ordinis Servorum
B. M. V.

Duplex.

Omnia de Comuni
Conf. non Pont. [112] præter
sequentia.

IN I. VESPERIS.

Capitulum. i. Petr. iv.

GArissimi, Communiantes Christi passionibus gaudeate, ut et in revelatione gloriae ejus gaudeatis exultantes.

Hymnus.

Bella dum late furent, et urbes
Caede fraternae gement
cruentae,
Adfuit Virgo, nova semper edens
Munera matris.

En vocat septem famulos,
fideles
Ut sibi in luctu recolant
dolores,
Quos tulit Jesus, tulit ipsa
consors

Sub cruce Nati.

Illico parent Dominae vocanti :
Splendidis tectis opibusque
spretis,
Urbe secedunt procul in
Senari
Abdita montis.

Corpora hic penes cruciant acerbis,
Sontium labes hominum
piantes :
Hic prece avertunt lacrymisque
fusus

Numinis iram.

Perdolens Mater fovet,
atque amictum

Ipsa lugubrem monet induendum :

Agminis sancti pia coepa surgunt,

Mira patescunt.

Palmes in bruma viridans honores

Nuntiat patrum : proprios Mariae

Ore lactenti vocitant puelli

Nomine servos.

Sit decus Patri, genitaeque Proli,

Et tibi, compar utriusque Virtus

Spiritus semper, Deus unus, omni

Temporis aëvo.

Amen.

℟. Hi viri misericordiae sunt, quorum pietates non defuerunt. ℞. Semen eorum, et gloria eorum non derelinquetur.

Ad Magnif. Aña. Non recedet laus tua, Virgo Maria, de ore hominum, qui memores fuerint virtutis Domini in aeternum, pro quibus non pepercisti animae tuae.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui ad recolendam memoriam dolorum sanctissimae Genitricis tuae, per septem beatos Patres nova Servorum ejus fami-

lia Ecclesiam tuam fecundasti : concede propitius, ita nos eorum consociari flētibus, ut perfruamur et gaudiis. Qui vivis et regnas.

Commem. præced. Aña.

Veni sponsa Christi, accipe coronam, quam tibi Dominus preparavit in aeternum. ℟. Diffusa.

Deinde Ferie.

AD MATUTINUM.

Hymnus.

Sic patres vitam peragunt in umbra,
Lilia ut septem nivei decoris

Virgini excelsae benegrata, Petro

Visa nitere.

Jamque divina rapiente flamma,

Cursitant urbes, locaque oberrant,

Si queant cunctis animis dolores

Figere Matris.

Hinc valent iras domuisse caecas,

Nescia et pacis fera corda jungunt,

Erigunt moestos, revocant nocentes

Dicta piorum.

At suos Virgo comitata servos

Evehit tandem superas ad oras :